

Misericordia A

Misericordia est animi condolentis affectus cum additamento beneficii, ut compaciamur proximo et largiamur de proprio.

Augustinus de diffinitionibus.

Misericordia B

Nichil ad misericordiam sic inclinatur quam proprii periculi cogitatio.

Augustinus [super] ad Gallatos.

Misericordia C

Non est quo fugias a Deo irato nisi ad Deum placatum.

Augustinus super Psalmum 74.

Misericordia D

Beati illi qui subveniunt miseris, quoniam eis rependitur ut per misericordem Dominum de miseria liberentur, nam idipsum videtur iustum, ut qui a potencie adiuvare vult, adiuvet inferiorem in quo est ipse potencieior.

Augustinus de sermone Domini.

Misericordia E

Melius est ut nullus sit miser, quam ut tu facias misericordiam. Qui enim ut faciat misericordiam optat esse miseros, crudelem habet misericordiam quomodo si medicus ut exerceat artem suam optat esse multos egrotos crudelis est medicina.

Augustinus super Psalmos.

Misericordia F

Misericordia est aliene miserie in nostro corde compassio qua utique si possemus subvenire compellimur.

Augustinus 9. de civitate Dei.

Misericordia G

Longe melius et humanius et piorum sensibus accommodacius in cesaris laude locutus est ubi ait: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior ne graciosior misericordia est.

Augustinus ibidem.

Misericordia H

Multo misericordius operatur quis circa animas infirmorum qui bone fame servorum Dei consulit, quam erga corporum egrotantium qui panem esurientibus tribuit.

Augustinus de opere monachorum.

Misericordia I

Nec omissio iudicio sis etiam pauperi in mala causa misericors, cui si parcis sacculo percutis cor et tanto nequiores reddes, quanto iustum sibi fovere videt.

Augustinus libro 1. apologie.

Misericordia K

Omnis summa discipline christiane in misericordia et pietate est, quam aliquis sequens, si lubricum carnis pacitur sine dubio vapulabit.

Ambrosius [super] ad Timotheum 4: Pietas ad omnia utilis est.

Misericordia L

Misericordia largior ubi fides promptior. Nichil tam commendat christianum quam miseratio caritatis.

Ambrosius de officiis.

Misericordia M

Vasa sacrorum vendere opus est, ut quis fide sincera et perspicaci prudentia misericordie munus impleat, sane si aliquis in sua declinat emolumenta crimen est, si vero pauperibus erogat captivum redimit, misericordia est.

Ibidem.

Misericordia N

Non memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera caritatis exercuit.
Habet enim multos intercessores et impossibile est multorum preces non exaudiri.

Hieronymus in epistola ad Nepotianum.

Misericordia O

Natura hominum prona est ad clemenciam et in alieno peccato sui quisque miseretur.

Hieronymus in epistola.

Misericordia P

Misericordia affectio est que nec voluntate cohercetur, nec rationi subiicitur, sed ipsas
pias mentes ad compassionem dolencium necessario cogit affectu, ita eciam ut si
peccatum esset misereri et si multum vellem non possem non misereri. Est timor plus
humilis fructuosus qui cuilibet quantumlibet peccatori facile misericordiam
promeretur, talis timor generat, nutrit et servat humilitatem, mansuetudinem,
pacienciam, et longanimitatem.

Hieronymus in epistola.

Misericordia Q

Misericordia a misero corde vocata est, eo quod unusquisque intuetur quempiam
miserum, et ei compaciens de dolore animus tangitur, ipse cor miserum facit, ut eum
ad miseria liberet, cui intendit.

Gregorius in moralibus.

Misericordia R

Respicere inopem, exaudire peccatum, ligari stipitem, prebere defensionem, atque pro
eisdem defensione pauperis, adversantis cuiuslibet inimicicias timere magna mentis
latitudo est.

Gregorius homelia 5.

Misericordia S

Sunt quidam misericordes de his que ad ipsos non pertinent, qui scandalizantur, quod non datur omnibus abundanter, sic tamen ut ipsi ne in modico quidem graventur, qui si misericordes essent de suo facere deberent misericordiam, si non possent de terrena substantia, de voluntate bona darent eis, qui contra eos fortasse peccare videntur, darent dulce signum, verbum bonum quod est super datum optimum, ut eorum mentes ad presenciam revocarent. Denique his omnibus quos in peccato esse cognoscerent, compassionem impedirent et oracionem, alioquin misericordia illorum nulla est, et misericordiam consequentur nullam.

Bernardus sermone 4.

Misericordia T

Septem in me video misericordias Domini quas et vos ipsi facile inveneritis in vobis, prima est quod a multis peccatis adhuc in seculo positum custodivit prima quidem non inter omnes quas michi impendit, sed prima inter has septem. Quis enim non videat quod sicut in multa cecidi, sic et in alia poteram cecidisse peccata, nisi omnipotentis pietas conservasset. Fateor et fatebor, nisi quia Dominus adiuvit me, paulominus cecidisset in omne peccatum anima mea.

Bernardus sermone 88.

Misericordia U

Secunda miseracio que non poterit explicari sermone benigna quam libera, quam gratuita; ego peccabam et tu dissimulabas, non continebam a sceleribus et tu abstinebas a verberibus, prolongabam ego multo tempore iniquitatem et tu, Domine, pietatem tuam.

Bernardus ibidem.

Misericordia X

Tercia: quod visitavit cor meum et invitavit ut amara fierent que male dulcia prius erant.

Bernardus ibidem.

Misericordia Y

Quarta: quod penitentem misericorditer suscepisti, ut in eorum numero invenirer de quibus Psalmum: Beati quorum remisse sunt iniquitates et cetera.

Bernardus ibidem.

Misericordia Z

Quinta per quam michi continendi deinceps et emendacius vivendi prestitisti virtutem, ne recidivum paterer, et esset novissimus error peior priore. Postquam in his quinque miseracionibus a malo liberaveris, in duabus aliis bona largiris; hee due sunt gracia promovendi, qua videlicet munus bone conversacionis indulges, et spes obtinendi, qua donas homini indigno et peccatori de tua tociens experta bonitate usque ad celestia speranda presumere.

Ibidem.

Misericordia AB

Magne misericordie sunt quattuor filie, scilicet amissio amaritudinis, subtractio opportunitatis, virtus resistendi et sanitas affectionis.

Bernardus in sermone.

Misericordia AC

A novissimis incepit, quia qui ante Christum fuerunt, quasi ex operibus iustificati fuerunt, gentes autem ex misericordia, unde misericordia incipit a novissimis, iusticia a maximis.

Chrysostomus super Mattheum 20.

Misericordia AD

Deus tristatur non de sua iniuria, sed de nostra perditione. Sicut rex benignus audiens criminosas personas, lege quidem compellente, ipse mortis sententiam dictat adversus eas, tamen misericordia instigante lachrimas fundit super ipsas et vult eas adiuvere et non potest contradicente sibi iusticia, quoniam misericordia tunc est vere misericordia si sic facta sit, ut iusticia per eam contemnatur. Si autem contempta iusticia misericordia observetur, ipsa misericordia non est misericordia sed fatuitas. Iusticia enim sine misericordia non est iusticia sed crudelitas, sicut et misericordia sine iusticia non est misericordia sed fatuitas.

Chrysostomus super Mattheum.

Misericordia AE

Misericordia est salutis presidium fidei ornamentum propiciatio peccatorum hec est que iustos probat, sanctos roborat, Dei cultores ostentat.

Ibidem.

Misericordia AF

Habens intellectum curet omnino ne taceat, habens rerum affluentiam vigilet ne a misericordie largitate torpescat, habens artem qua regitur magnopere studeat ut usum et utilitatem cum proximo parciatur, habens loquendi locum apud divitem damnationem pro retento talento timeat si non quotidie cum valet apud divitem pro pauperibus intercedat.

Rabanus super Mattheum 25.

Misericordia AG

Qui esurientem pane verbi reficit et sitientem potu sapientie refrigerat, qui errantem in domum patris revocat, qui innocentem protegit, qui infirmum fide assumit et confirmat, qui tribulatione oppresso subvenit, compaciendo vel consolando veram dilectionem adimplet.

Rabanus ibidem.

Misericordia AH

Misericordia consistit in elemosynis largiendis, in malis tolerandis, in conviciis remittendis et imperitis corrigendis.

Rabanus ibidem.

Misericordia AI

Misericordie virtus tanta est ut sine illa cetere et si sint prodesse non possunt. Quamvis enim aliquis fidelis sit et castus et sobrius et aliis maioribus ornatus insignibus si misericors tamen non est, misericordiam non meretur.

Leo papa in sermone de apparicione.

Misericordia AK

In illo magno summoque iudicio tanti estimabitur vel largitatis benignitas vel tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium virtutum et pro summa omnium commissorum et per unum malum illi in ignem mittuntur eternum et per unum bonum isti introducuntur in regnum.

Ibidem.

Misericordia AL

Benigni quippe principis est ad clemencie commodum transilire terminos equitatum quando sola est misericordia, cui omnes virtutes honorabiliter cedere non recusant.

Cassiodorus in epistola.

Misericordia AM

Egentibus iustum est non divitibus subveniri fundit potius qui mittit in plenum, nam illud potius reconditur, quod vasis vacuis congregatur.

Ibidem.

Misericordia AN

Si nullum penitus indigere contingeret, locum pro inde largitas non haberet. Data est provinciis in regis nostri laude penuria, steriles facti sunt agri, ut ubertas Domini possit agnosci, minus esset acceptissimum donum nisi precessisset incommodum.

Ibidem.

Misericordia AO

Misericordia subsequitur ad custodiam, sed preedit ad gratiam conferendam, nam si solum sequeretur, nemo donatam perciperet si tantum prederet, nullus poterit collata servare. Graviorum enim sunt insidie quas a tergo diabolus parat et nisi misericordia subsequatur facillime fragilitas humana decipitur, tunc enim quando se quis vicium transisse credit, inevitata magis ignoracione decipitur.

Cassiodorus super Psalmos.

Misericordia AP

Misericors est cum creat, quia nullis beneficiis provocatur ut prestet, miserator est cum res cadentes sua pietate reconstruit.

Cassiodorus super illud Psalmi: Miserator et misericors.

Misericordia AQ

Differunt misericordia et miseratio sicut fons et rivulus, misericordia enim quasi fons est affectu, miseratio quasi rivulus effectu.

Hugo.

Misericordia AR

In regno celi coram omnibus angelis in conventu resurgencium quod Abel passus sit, quod mundum conservavit Noe, quod Abraham fidem servavit, quod Moyses legem tulit, quod Petrus crucem Ihesu primus ascendit; Deus tacet et clamat solum quod pauper comedit dicens, esurivi qui enim misericors est, misericordia dignus est.

Petrus Raveniensis in quodam sermone exponens illud Matthei 35: Esurivi et de et cetera.

Misericordia AS

Ite, proferte stolam primam. Non dixit unde venis, ubi fuisti, ubi sunt que tulisti, quare tantam gloriam in tantam turpitudinem commutasti, sed proferte stolam primam et induite illum. Videtis quia delicta non videt vis amoris, tardam misericordiam Pater nescit, delicta qui discutit prodit.

Petrus Raveniensis in sermone.

Misericordia AT

Precedentis misericordie beneficium perdidit, qui putat esurienti semel sufficere quod donavit. Ille autem ad Deum integros misericordie fructus premitit, a quo pauper numquam tristis abscondit.

Valerius in quodam sermone.

Misericordia AU

Misericordia est vicina miserie, habet enim aliquid trahitque ex ea, imbecilles oculos esse scias qui ad aliam lippitudinem et ipsi suffunduntur.

Seneca libro de clemencia.

Misericordia AX

Frustra rogatur qui misereri non potest, gravis tamen pena est quem post facti penitet. Mali causa est qui requirit misericordiam.

Seneca in proverbiiis.